

APPENDIX C. (BULL D).

Bull said to have been issued by Alexander VI. and dated September 25, 1493, as printed in the "Fonti Italiani." No trace of any original having been found, it was copied into that collection from Solorzano "De Indiarum Jure," Madrid, 1629. The Latin version is supposed to be a re-translation by Solorzano from a Spanish version made by one of the secretaries of Philip II., A.D. 1554.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Ferdinandō regi et charissimae in Christo filiae Hellzabeth reginæ Castellæ, Legionis, Aragonum et Granatæ, illustribus, salutem et apostolicam benedictionem. Dudum siquidem omnes et singulas insulas et terras firmas inventas et inveniendas versus occidentem et meridiem, quæ sub actuali dominio temporali aliquorum dominorum christianorum constituta non essent, vobis heredibusque et successoribus vestris Castellæ et Legionis regibus in perpetuum motu proprio et de certa scientia ac de apostolicæ potestatis plenitudine donavimus, concessimus et assignavimus: vosque ac heredes et successores prefatos de illis investimus; iliarumque dominos cum plena, libera et omnimoda potestate, auctoritate et jurisdictione constituimus et deputavimus, prout in nostris inde confectis litteris, quarum tenorem, ac si de verbo ad verbum praesentibus inserenterunt, haberi volumus pro sufficienter expressis, plenius continetur. Cum autem contingere posset quod nuntii et capitanei aut vassalli vestri versus occidentem et meridiem navigantes, ad partes orientales applicarent, ac insulis et terras firmas, que inde fuissent vel essent, reperiarent, nos volentes etiam vos favoribus prosequi gratiosis, motu et scientia ac potestatis apostolicæ plenitudine similibus, donationem, concessionem, assignationem et litteris predictis, cum omnibus et singulis in eisdem litteris contentis clausulis ad omnes et singulas insulas et terras firmas inventas et inveniendas, ac detectas et detegendas, quæ, navigando aut itinerando versus occidentem aut meridiem hujusmodi sint vel fuerint aut apparuerint, sive in partibus occidentalibus vel meridionalibus et orientalibus et Indiae existant, auctoritate apostolica, tenore praesentium in omnibus et per omnia, perinde ac si in litteris praedictis de eis plena et expressa mentio facta fuisset, extendimus pariter et ampliamus. Vobis et haeredibus et successoribus vestris praedictis per vos, vel alium seu alios, corporalem insularum ac terrarum praedatarum possessionem propria auctoritate libere apprehendendi ac perpetuo retinendi, illasque adversus quoscumque impeditentes etiam defendendi, plenam et liberam facultatem concedentes, ac quibuscumque personis etiam cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis, sub excommunicationis late sententiae, pena, quam contrafacentes eo ipso incurvant, districtus inhibentes, ne ad partes praedictas ad navigandum, piscandum, vel inquirendum insulas vel terras firmas, aut quovis alio respectu seu colore, ire, vel militare quoquomodo praesumant, absque expressa vel speciali vestra ac haeredum et successorum praedictorum licentia. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis donationibus, concessionibus, facultatibus et assignationibus per nos vel predecessores nostros, quibuscumque, regibus vel principibus, infantibus, aut quibusvis aliis personis, aut ordinibus et militiis de praedictis partibus, maribus, insulis atque terris, vel aliqua eorum parte, ex quibusvis causis, etiam pietatis vel fidei aut redemptionis captivorum, et aliis quantumcunque urgentissimis, et cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, efficacioribus et insolitis, etiam quascunque sententias, censuras et penas in se continentibus, quæ suum per actualem et realem possessionem non essent sortitæ effectum, licet forsitan aliquando illi quibus donationes et concessiones hujusmodi factæ fuissent, aut eorum nuntii, ibidem navigassent. Quos tenores illarum etiam praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus omnino revocamus, ac quoad